2

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

FONTICULORUM NOXIA CONCRETIONE,

Quam,
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.
DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,
PRO LICENTIA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQVE CONSVETIS,
ANNO MDCCXXXI. D. JANUAR.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET
RESPONDENS
JOHANNES MICHAEL BAUER,
RUGENWALDA-POMERANUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



PROOEMIUM.



On exigua aut levis est exclamatio atque querela, quam *Seneca Ep. 109.* profert: *quid me doces scientiam inutilem? magna promisisti, exigua video:* Hæc indignatio & conquestio non modo in occupationibus ad scientiam spectantibus, sed & negotiis ad usum practicum pertinentibus opportunam causam & occasionem invenit; quem enim judiciosorum, attentorum & peritorum medicorum latet, quam multa experimenta, consilia & sic dicta subjecta medicamentosa miris declamentur elogiis, de quibus vero illud valet, multa promisisti, exigua video! inde etiam illa calamitas atque offendiculum ex parte ortum capessivit, quod si usus talium promissorum contrarios, aut alienos successus & effectus proferat, mens sollicita in varia tentamina ruat, adeoque fatalem & ominosam inconstantiam causetur, ut modo conatus qui-

dam practici suscipiantur, qui si exoptato fine destituuntur, aut aliam molestiam creant, viam ad alios, aut contrarios ausus parent, cum tamen juxta *Symmachi Lib. VII. ep. 60.* effatum *continuatio experientiæ vires suas renovet*, imo juxta *Platonem de Republ. usus rerum continuatus, utilitatem, certitudinem, veritatem & salubritatem confirmet:* hinc in variis casibus non modo *diu deliberandum est*, quod *semel statui* debet, sed monitum illud in usum assiduum trahi debet, quod *Diogen. Laertius Lib. I. p. 60.* subministrat, *si quid agere instituis, lente id aggredere; cæterum in eo, quod elegeris, firmiter persiste;* & hæc firmitas in foro Medico heroïcis virtutibus adscribi meretur, siquidem vel multiplex variatio cum consiliis & auxiliis male fidos, si non plane noxios promittit effectus, vel remediorum aliquandiu & aliquatenus salutarium necessaria continuatio cum magno præjudicio abrumpitur, indeque promissæ sanitatis exigua constantia observatur: hæc variatio & inconstantia multorum malorum causa evadit, ut illud huc quadret quod *Sophocles in Trachin. v. 1259.* exclamavit: *tu sopitum malum, irritas rursum!* quando pristinus morbus acerbiori gradu & majori vehementia revertitur, sed & ex prægressorum consiliorum & auxiliorum, qualitercunque salubrium abolitione ac omissione nova eaque periculosiora mala originem sumunt: & quamvis interdum quædam adminicula quadantenus incommoda ac molesta existant, tamen juxta *Senecam ep. 107. optimum est pati, quod emendari non possis:* eapropter in foro medico quædam dantur auxilia, de qui-

quibus lemma illud valet, *repetita juvant*, quæ tamen iterato usu non modo molestiam, sed aliquando plane transitorios dolores causantur; quæ ipsa vicissim si propter hæc incommoda plane negliguntur aut omittuntur, gravioribus damnis amplissimam pandunt viam: ita dantur casus practici & observationes, quod quidam homines singulis annis certo tempore ministrante vomitorio a variis ac periculosis morbosis insultibus se liberaverint, id quod etiam in aliis casibus cum laxantibus, purgantibus & artificialibus sanguinis subtractionibus succedit, quæ individualia subsidia, ob tœdium quoddam conceptum, omissa, retardata & neglecta, non modo tales morbos, quibus avertendis hactenus eadem usurpata fuerant, alliciunt, sed adhuc alia graviora pathemata accersunt: sicut nobis constat casus, ubi matrona quædam ad imminentem catarrhum suffocativum avertendum pro ratione suarum circumstantiarum V. Snem in octoagesimum annum usque continuaverat, quæ vero vitæ amplius pertœsa deliberato illam sanguinis ventilationem omisit, ast brevi post eodem catarrho correpta occubuit: quare multi homines ejusmodi medicamentosa auxilia abhorrescunt, quoniam aliquando continuationem requirunt & servitutem velut inferunt, imo si posthac negliguntur, antiquam tragœdiam aperiunt, unde sæpe exclamant cum *Menandro ap. Stobæum Serm. 102. semper aliud malum, post aliud mihi enascitur:* Quam ob rem multæ vicissitudines atque curæ sæpe officiosum Medicum affligunt, quando interdum morosi & immo-

morigeri ægri salutaria consilia & auxilia penitus respuunt, aut incongrue ac insufficienter eadem adhibent, aut præmature illorum continuationem abrumpunt: unde tandem in mentem incidit, quod *Sophocles in Ajace flag. v. 982.* elocutus est: *homines stulti, bonum in manibus cum habeant, non sentiunt priusquam amiserint*, aut quod *Cicero in orat. ad Brutum c. 47.* declamat: *quam cara sint, post carendo intelligimus*: hinc auxilia non semper ex grato & accepto sensu ac usu dijudicanda sunt, sed ex effectu: unde quamvis quædam valde incompta, ingrata & molesta videantur, tamen utilis illorum effectus reliquam molestiam demulcet ac sopit: quo valet illud *Eræsi ap. Herotod. Lib. 1. c. 207. Mei casus, & si ingrati, mihi tamen extitere disciplinæ*, aut ut *Cydonius in orat. de contemn. morb. p. 32. & 69.* profitetur: *res bonæ & malæ non dolore & voluptate, sed utilitate & noxa dijudicandæ sunt*: quando etiam in certis morborum casibus quædam circumstantiæ singulare quoddam auxilium necessitant atque urgent, tunc interdum idem adminiculum in futurum repeti ac in usum trahi debet, ne consequentia & connexa quædam damna & pericula ingruant: imo quod magis est, aliquando contingit, ut quædam remedia sine necessitate sub nuda opinione ac spe, acquirendæ fortassis alicujus utilitatis, ordinentur & admittantur, quæ sub æquiori dijudicatione magis officiunt & turbant, quam proficiunt vel juvant, quorum usui tamen ita adsuescit natura, ut si imposterum omittantur, majora sanitatis offendicula consequantur: testimonio V. Snis citra necessitatem ex

scru-

ſcrupuloſa ſollicitudine de tuenda ſanitate admiſſæ, quæ aliquando nihil levaminis, ſed plus incommodi conciliat; aut exemplo pilularum ſic dictarum domeſticarum aloëticarum, præſervante ſcopo adhibitarum, quæ ſucceſſive in iisdem ſubjectis interdum alvum reddunt ſegnem, ſiccam & adſtrictam, ut ſemper impoſterum ingeri debeant, ni neglectæ, majora convocent damna: hinc juxta *Ambroſium ad cap. 7. Tobiæ, nihil juvat alienæ miſeriæ acceſſio:* Hæc penſitantes inter alia ſpecimina & teſtimonia practica Fonticulorum præc. hoc loco reminiſcimur, qui non raro variis medicis & afflictis ægris ſacræ anchoræ inſtar inſerviunt; geſtatione tamen & quotidiana directione ſua non parum incommodi & moleſtiæ faceſſunt, ut varii illorum uſus pertæſi, de eorum conſolidatione & abolitione cogitent, ſub ſpe obtinendæ ac poſſidendæ illius ſalutaris utilitatis, quam uſus illorum conciliavit: quemadmodum vero ſucceſſus & eventus non ſemper votis & expectationi reſpondet, ſed quandoque contrarii effectus ſequuntur, ita hæc præjudicioſa ac ominoſa conſecutio occaſionem nobis præbuit, quo præſenti Inaugurali Specimine practicam illam obſervationem de FONTICULORUM NOXIA CONCRETIONE explicandam ſuſceperimus; cui inſtituto, ut DEUS ſua clementia ac directione adſit annuatque, humillimis precibus flagitamus.

§. I.

§. I.

OMnem *mutationem periculosam* esse, communi quodam proverbio exclamari solet: nos de absoluta illius veritate non disceptantes, thematis nostri memores sumus, quo *noxiam aliquam Fonticulorum* mutationem inquirere & indicare cogitamus: illustrabimus itaque paululum & quantum par est *tituli* nostri sensum, nec in *verborum grammatica* evolutione fluctuare placet; aliquo modo dubitantes de effato *Platonis in Gorgia*, quando ait: *qui gnarus est vocabulorum, gnarus etiam est rerum*, cum in vocabulis aut notationibus *nominalibus* sensus *realis* nec *semper*, nec *distincte*, nec *sufficienter* hæreat; siquidem majorem assensum *Galeno* præbemus, qui in *Lib. 4. de loc. aff. cap. 5.* ait: *tum primum homines res ipsas neglexerunt, cum nimio studio nomina quærere inciperent:* quam ob rem non necesse ducimus, ut *nomina* thematis nostri exponamus: quando vero jam *Fonticulorum* mentionem facimus, tunc ejusmodi *ulcera cutis* dispescimus *in artificialia* & *naturalia:* de modo *per artem* fonticulos provocandi nobis sermo haud est, qui a *multis* medicis jam sufficienter descriptus prostat: *illud* vero hoc loco advertimus, quod in *historia* medica peculiari charactere, *dignitate* & prærogativa *spontanei* tales abscessus, *salutarem* effectum afferentes, commemorentur: inter alia hoc loco *Grammii* effatum in *A. N. C. dec. 1. an. 2. obs. 257.* ubi de *Fonticulis naturalibus in abdomine & thorace* agit, allegamus: *naturam*, ait, *optimam naturæ magistram esse & sæpe intento quasi digito artificibus monstrare vias,*

per

per quas commodissime velit ac possit ab humoribus superfluis, acribus & salsis liberari, præter cætera evincunt ulcuscula ista, quæ ipsa natura nonnunquam in externa corporis parte excavat, quæ proinde fonticuli naturales appellantur & contradistinguuntur artificialibus, quos naturæ ductum imitati Artifices, ope cauteriorum vel actualium, vel potentialium efformare solent: tales *naturales* fonticuli passim ab authoribus recensentur, *conf. Glandorpius in Gazophylaceo fonticulorum & Setonum cap. 7. p. 42. A. N. C. Dec. 1. an. 2. obs. 257. an. 4. obs. 116. 117. dec 3. an. 1. app. p. 133. an. 5. 6. app. p. 98. Zacut. Lusit. Med. Princ. Hist. Lib. I. histor. 20. obs. 18. p. 34.* Nobis vero in hoc themate sermo est, de fonticulis *arte* excitatis & pro *intricatis* morbis aut *profligandis*, aut *mitigandis*, nec non pro tuenda *sanitate* & *præoccupandis* imminentibus *morbosis* afflictionibus, institutis: quo loco etiam ex observatione practica & *veritate facti* testamur & probamus, quod in *variis casibus* & necessitatibus illi desideratam, exoptatam & promissam *opem afferant*, in quibusdam vero spem *fallant* ac frustrentur; eapropter etiam impræsentiarum fonticulos *utiles* & *salutiferos* intelligimus, siquidem reliqui non consolidatione, sed *apertione* facta nocivi evadunt: proinde vero hoc themate observationes illas augemus & illustramus, quæ circa *congruam* adeoque salubrem & *incongruam* indeque noxiam fonticulorum directionem & tractationem versantur: neque tamen hac consideratione illas multiplices *nocivas* aut *ambiguas* fonticulorum qualitates indicare & explicare cogitamus, sed de illa *singulari* alteratione agere constituimus, quando iidem cum *præjudicio* & magno *damno* sanitatis, imo ali-

quando plane cum *periculo* vitæ occluduntur, coalescunt & consolidantur; sive *præmature*, s. *promiscue*, s. plane *incongrue* & *illicite* id fiat; unde mox in *abstracto* significamus, quod fonticulorum concretio non modo *aliquando*, sed & *non raro male* cedat, & quod in quolibet instituto occludendi & consolidandi fonticulum magna *circumspectio* & prudens *præparatio* totius œconomiæ animalis necessaria existat; id quod plurimi medicorum, qui fonticulorum utilitates con- & professi sunt, quorum magnum catalogum recenset *Schultzius in A. N. C. dec. 1. an. 3. obs. 156.* testantur ac inculcant: quod vero *non* de *qualibet* fonticulorum concretione tractemus, titulus perinde indicat; quamobrem *noxiam* præc. illorum sic dicendam coalescentiam explicare placet; quo ipso aliam eorum concretionem *innoxiam* & quidem vel *utilem* ac *necessariam*, vel *indifferentem* admittimus & significamus: quæ meditationes in præsentis tituli explicatione & illustratione *præliminari* commendatione annotandæ sunt.

§. II.

Quando itaque *noxiam* Fonticulorum *concretionem* explicare constituimus, tunc ultra institutum procedere haud lubet: interea *non quamlibet* illorum consolidationem *nocivam* prædicamus; hinc plurimi medici, qui de Fonticulorum usu & directione tractant, illam *simul* circumstantiam explicant, *quando* & qua *præcautione* fontes tales occludere liceat: interea tamen contingit, ut varii ægri & medici ad *hosce* fontes, ut ad *alios*, velut ad *asylum* & sacram anchoram confugiant, quando in *arduis*, *intricatis*, corruptis, contumacibus, diuturnis & refractariis morbis, in *quibus præcipue alia* auxilia desideratam &

exop-

exoptatam opem haud præſtiterunt, illos aperiunt; in quibus ſi tales fonticuli vel *aliquam* vel *nullam* opem & utilitatem attulerunt & præſtiterunt, tunc utrique aliquando de *conſolidando* illo conſilium capiunt, quæ concretio tamen *interdum* peſſimas affert *conſecutiones*, dum vel *illis* ſubjectis, quibus *ſalubritatem* aliquam conciliarunt, poſt adminiſtratam concretionem ob *certas* circumſtantias aut *priſtinos*, aut *deteriores* affectus *morboſos* cauſantur, vel ſi *nullum* adjumentum attulerunt, tamen aliquando *tantum* effecerunt & præſtiterunt, ut *ille* affectus, ad quem adhibitus fuit talis fonticulus, *non deteriores* & *acerbiores* fecerit progreſſus, aut ut ſub eodem affectu, natura huic extraordinario *purgatorio adſueta*, impoſterum ægerrime ejus *ſuppreſſionem* & obſtructionem toleret: proinde mentio injicienda erit concretionis fonticulorum noxiæ, quæ vel *ſponte* contingit, vel ex *inſtituto*, aut *arte* promovetur & urgetur, aut *neglectu* admittitur; qualis conſolidatio iterum pro diverſa ratione & qualitate morborum & ſubjectorum pernicioſa evadere poteſt: quod vero in *multis* ſubjectis & caſibus fonticulorum *prœmatura*, aut incongrua & *inconſulta* concretio *noxam* afferat, multi medicorum ſuo confirmarunt teſtimonio: hinc *Guaſatius de natura cauterii cap. 6.* eloquitur: *cauteria rite fluentia nunc crebram & magnam præbent utilitatem, modo exſiccata, impedita, oppreſſa & occluſa majus afferunt damnum:* huc pertinent repetita *Scholzii* teſtimonia, quando *Ep. 174.* ita eloquitur: *plurima exempla proferre poſſem eorum, quibus cauteria conſolidata lethalia fuerunt :* & *conſil. 281. multis exemplis erudimur, quam minime tuto cauteria præſertim in pedibus atque hoc noſtro germanico aëre adhibeantur:*

tur: & dum propter aëris germanici intemperiem & frigiditatem clauduntur, quam subito mors consequatur: confirmat tale judicium *Guido tr. de cauteriis tr. 1. c. 6. fontes hi si fluunt, salutiferi sunt, si obstipantur aliquando mortem afferunt: Horstius Lib. IV. Part. II. obs. 15. p. 354.* ubi tristem casum de *infelici* fonticuli consolidatione profert, haec subnectit verba: *hinc patet ulcera diuturna, aut abscessus in quos natura se exonerat, caute tractandos esse, nisi in aliud tristius discrimen se conjicere quis velit. Vigo Lib. 2. tr. 1. c. 19.* profitetur: *caveat quisquis saluti humanae operam dat, ne cauteria fructuosa, aut diu gestata opprimat, ni funesti sequantur eventus*: addimus *Sennerti* testimonium *institut. med. Lib. V. Part. I. Sect. 2. c. 9. observationes medicorum attestantur eos, quibus etiam post multos annos ejusmodi ulcus coaluit, praesentissimum vitae periculum, saepe etiam mortem subitaneam incurrisse: conf. Bohnii* judicium *de Off. Med. dupl. Part. 1. c. 15. p. 314.* quando indicat & monet: *non facile consolidanda sunt ejusmodi ulcera in subjectis cachecticis, quae multum ichoris, cum levamine affectus morbosi profundunt, hic tamen nondum omnimode cesset:* & *p. 315.* ait: *in Senibus fontanella vix unquam secure supprimitur, iis potissimum in quibus vigor vitalis deficit & ulcusculum copiosiore ichore manat: &c.* accedit suffragium *Riedlini Lin. Med. An. 1. Mens. Mart. obs. 30. p. 91.* cujus verba: *licet ego illorum sententiae non accedam, qui fonticulis occlusis mortem inferri, statuere non dubitant, cum illa experientiae quotidianae non refragetur, cautos tamen nos esse debere sanandis & non nisi causis omnibus, quae eosdem excitandos suaserunt, cessantibus occludendos esse: vid. plur. Glandorpius in Gazophylacio fonticulorum & Setonum,*

num, *Fienus Lib. 3. de cauteriis*, *Guarinonius de Sanando cauterio consf. 589.* & hanc obſervationem non illa teſtimonia infringunt & enervant, quæ fonticulorum, videlicet *nonnullorum*, ſub *congruis* circumſtantiis inſtitutam ſanationem non prohibent: uti *Rolfinckius in ordin. & method. medic. ſpec. Lib. 4. Sect. 6. Part. 2. c. 7. p. 430. n. 7.* loquitur: *ſi conferant juvamentum, nemo non illos geſtat avide: ad aliquod tempus ſi non proſunt, tuto claudi queunt, neque natura ulterius illis oneranda: conf. Williſius & Capivacius de fonticulis, Riedlinus Lin. Medic. An. 5. Menſ. Febr. obſ. 8. p. 133. ſub. tit. Fonticulus ſine ulla noxa occluſus:* quo loco tamen hic author ſequens teſtimonium ac judicium profert: *Fonticulos non facile eſſe occludendos, primo harum linearum anno, peculiari linea indicavi, nec hactenus defuerunt exempla, quæ in hac ſententia me magis confirmarunt, cum ii præſertim, qui a malo, cujus ergo fonticulos excitari curarunt, non dum penitus liberati ſunt, iis occluſis, quam male ſibi conſuluerint, malo denuo creſcente conquerantur &c.* aſt ſufficiant hæc teſtimonia, pro thematis noſtri defenſione allegaſſe.

§. III.

Antequam *ipſam noxam* aut pernicioſam conſecutionem a fonticulorum concretione provenientem, commemoremus, neceſſe eſſe judicamus, ut dum in *aliquibus* caſibus *innoxiam* illorum conſolidationem agnoſcimus, nunc brevi animadverſione indicemus, in *quibus ſubjectis* & ſub quibus *circumſtantiis generatim* inconſultum & *ominoſum* ſit, fonticulos *occludere*: *haud* itaque ſecurum eſt fonticulos ſanare & quaſi ſuffocare in ſubjectis, *cuiuscunque* fuerint *ætatis*, *temperamenti* & *ſexus*, in

 quibus

quibus *prævalens*, intricata, *constans* & ferme habitualis *dyscrasia* humorum præsto est, quæ hactenus per fonticulos cum *euphoria* se *quadantenus* repurgavit, cui *purgatorio* natura facile *adsuescit* & posthac huius fontis obthurationem *ægerrime* tolerat, dum contra sensum & *euphoriam* denuo valde illa *qualificata* humorum intemperies innovatur & *accumulatur*, ut vel ad *alia refugia* & excernicula *impetuose* motus ruant, indeque periculosæ alterationes oriantur, ut tanto impuritatum cumulo corpus in *graviora* damna delabatur: præcipue illis subjectis hæc fonticulorum *obstructio* inimica est, quibus salubre est, ob magnam impuritatum *copiam extraordinaria* tali via, ejusmodi *quotidianam* illorum excretionem promovere; dum *ordinariæ* evacuationes huic quantitati inquinamenti *minuendi minus* satisfaciunt, proinde etiam *inconsultum* est *indies* purgationibus, diaphoresibus, diuresibus, per *medicamenta* provocatis, *ordinem* reliquarum viarum & *vires* turbare ac enervare, siquidem commodiori, *securiori* ac leniori processu tale quid cum fonticulis perfici potest: id quod passim *Severinus* testatur *in Pyrotechnia Chirurg.Lib.II.Part.1.* porro in *hisce* subjectis fonticulorum oppressio *nociva* est, in quibus viscera ad *concoctionem* utilium & purorum humorum, ac *depurationem* inquinatorum succorum *debilia* sunt, in quibus ea propter *purgatorium* tale *extraordinarium* admodum fructuosum & sub certis circumstantiis necessarium est: quando in quibusdam subjectis *affluxus* & *effluxus* humorum ad fonticulos & ex hisce *diuturnus*, *largus*, *adsuetus* & *salutaris* est, tunc nuda illorum consolidatio valde perniciosa est: in quibus aliæ & quidem *ordinariæ evacuationes*, velut *alvi*, *urinæ*, *sudoris*, sub gestatione fonticulorum *sine præjudicio* paululum

lum *minuuntur*, in illis *haud* consultum est, secure & *cito*, aut *nude* eosdem *occludere*: quicunque in affectus *præcipites* & *vehementes* inclinant, in illis oppilatio fonticulorum valde suspecta est: homines qui de temperamento *sanguineo*, aut *cholerico* in *eminentiori* gradu participant, *ægre* frivolam fonticulorum sanationem tolerant: quicunque *suspecta plethora*, aut *complicata impuritate* sanguinis laborant, in illis *non facile* fonticuli obstruendi sunt: subjecta quæ in *ominosas Hæmorrhagias* proximius propendent, aut tales unquam cum variis *anomalis* successibus subierunt, in illis *facile* fonticulorum concretio *noxam* affert: quicunque homines suspectis, repentinis & impetuosis *congestionibus*, *inflammationibus*, *rhevmatismis*, *febribus*, *spasmis*, *convulsivis* motibus obnoxii sunt, illi facile a fonticulorum consolidatione alterantur: in quibus subjectis *vitiosi motus*, maxime in *excessum* proni, affligunt, in illis perquam insecurum est, fonticulos facile opprimere: nec unquam convenit talem concretionem suscipere aut admittere, si non exacte eo corpus *præparatum* fuerit; id quod alias periti & circumspecti medici ordinare solent: *vid. Alex. Massarias Pract. Medic. Lib. 1. c. 19. Trincavell. Consil. Medic. Lib. 1. conf. 18. Glandorpius, Fienus, Guavasetius Bohnius Libbr. & loc. cit.* in quibuscunque subjectis *subitaneæ* commotiones ad certas *excretiones* tendentes familiares sunt, in illis periculosum est, nudo ausu fonticulos extinguere & supprimere: quando porro tales fontes nondum *sufficientem* opem in *arduo* & *intricato* quodam affectu præstiterunt, tunc inconsultum est, *subito* illos obstruere velle: quando in *ominosis* affectibus *capitis* & *pectoris* fonticuli adhibiti,

aliqua-

aliqualem opitulationem obtulerunt, tunc minus ſecurum eſt illos *frivole* occludere velle: in ſubjectis quoad motus *morales* & *vitales* eximie *ſenſibilibus*, indeque in *exceſſivas levium* alterationum proſecutiones *præcipitibus*, *minus* conſultum eſt, fonticulos negligere & facile conſolidare velle: in quibus *ſuſpectæ* qualitates, ex *conſuetudinis* & *hæreditariæ* diſpoſitionis ratione pendentes, adſunt, in illis fonticulorum *vagæ* concretiones facile eximiam noxam inferre ſolent: quibus *cerebrum* & totum *genus nervoſum debile* eſt, indeque *defluxiones* & ſeceſſiones humoroſæ, aut *ſtagnationes* humorum *faciles* & *familiares* exiſtunt, in illis fonticulorum ſanatio multa *pericula* minatur: &c. haſce annotationes practicas, quibus adhuc plures addere poſſimus, ſi inſtituti noſtri ratio requireret, allegare placuit, quæ indicant, in *quibus ſubjectis* & *caſibus ſecurum haud* ſit fonticulos prompte & *ſine alio habito reſpectu* negligere & occludere velle.

§. IV.

Fonticuli tales præcipue *noxam* minantur, quando *ſine* habita *conſideratione ſubjecti*, *morbi* & *operationis* ipſius ſanantur; ita, ut in *nuda* illorum concretione homines acquieſcant, nec *adverſi* quid metuant, ſed in*ſufficienter* judicant, quod fonticuli illi pro *arbitrio* excitati, nunc pro *lubitu* iterum *conſolidari* queant, quando aut *deſideratam* opem præſtiterunt, aut *aliqualem* tantum utilitatem obtulerunt, vel *plane nihil* adjumenti attulerunt, in quo *poſteriori* caſu, pro *noxiis* æſtimantur, ſi *diutius aperti* ſervantur: proinde *noxia* fonticulorum concretio eſt, ſi ſine *prævia* præparatione, quoad *motuum*, ſeorſim vero *evacuationum* & reliquarum functionum *naturalium*

&

& *vitalium directionem*, modificationem & moderationem, ſuſcipiuntur; ſi porro *poſt peractam* illorum conſolidationem prava *conſectaria* haud tempeſtive *avertuntur*, neque circumſtantiæ in *individuo* obſervandæ, velut facilis *coacervatio* puri & impuri ſanguinis, *peculiaris* propenſio ad *faciles* & *largas* excretiones, proclivitas *diſtincta* ad *inſolitos*, aut plane *anomalos* motus &c. *congrua therapevtica* methodo tractantur, ut *ominoſas* valde conſecutiones *haud* afferant & concilient: ſi præterea fonticuli occluduntur ſine commendatione & ordinatione juſti *regiminis* & congruæ *diætæ*, aut convenientis *rerum* ſic dictarum *non naturalium* uſus, tunc facile *pernicioſa* ſuperveniunt conſectaria: nec excuſat, ſi fonticuli *ſponte* in concretionem inclinant, ut eloquantur, das Fontanell wolle mit aller Macht zugehen, man könnte daſſelbe nicht offen behalten, licet non raro *negligentior* illius tractatio *hujus ſpontaneæ* concretionis cauſa exiſtat: non minus *ſuſpecta* talis eſt fonticulorum concretio, ſi *ſubito* contingit; quales *præcipites* mutationes, aut *ordinarias*, aut *extraordinarias* evacuationes comitantes, utplurimum *pernicioſæ*, nec raro etiam plane *fatales* exiſtunt: noxam ſubinde afferunt conſolidationes fonticulorum, ſi contingunt, quando in *individuo* variæ *commotiones* ſanguinis & reliquorum humorum admodum *intricatæ* & ominoſæ, nec non *animi* perverſæ *alterationes* continuant: tanto magis *ſuſpectæ* ſunt illorum ſanationes, quando *urgentur* & cum *adſtringentibus*, incraſſantibus, exſiccantibus, ſic dictis balſamicis epuloticis & ſarcoticis promiſcue *coguntur*, licet fontes illi eo haud *prompte* inclinent: *noxa* inſuper metuenda eſt, quando poſt fonticulorum oppreſſiones

C *priſti-*

pristinorum & *prægressorum* morborum, ut & *causarum*, quæ illos excitarunt, *nulla* amplius ratio & consideratio habetur, nedum *aliqualis* subordinanda *medica* directio instituitur: tanto *certius* & *citius* damnum horum fontium obstructionem sequitur, si enormes *errores* quoad regimen *animi* & *corporis*, nec non quoad rationem *diætæ* committuntur, unde consequens ac *novus* error priore *deterior* evadit: deinde *noxam* infert fonticulorum concretio, si posthac, dum videlicet illi fonticuli, exoptatam, desideratam & *sufficientem* opem *haud* præstiterunt, alii *incongrui*, rigorosi, *impetuosi* & motus valde *exacerbantes* ausus *medici* per *prodigas*, *incongruas* & *confuse* adhibitas *V.Snes*, *purgationes*, *vomitiones*, *sudationes*, *salivationes* &c. per *heroica* medicamenta & experimenta, per *perversas humorum*, *viarum* & *motuum* alterationes, &c. suscipiuntur: *nociva* pariter redditur illa fontium oppressio, quando *fluentibus* illis ob humorum abundantiam *individua* cum *euphoria* alias *arte* provocatas evacuationes humorum *serosorum* tolerarunt, quæ nunc *cessantibus* illis, vel plane *negliguntur*, vel *insufficienter* administrantur, ut suspecta talis *illorum* humorum *colluvies*, novas easque *acerbiores* afflictiones morbosas causetur: damnum etiam justo metu expectandum est, si fonticuli occluduntur in corporibus *speciali* inquinamento, si præc. *irradicabile* est, præditis, velut *purpurato*, *scorbutico*, *venereo*, subtili *scabioso*, in *ulcerosas* corruptiones prono, *bilioso*, semi aut quasi *leproso*, aliamque *cacochymiam* comprehendente: qualis dyscrasia humorum *speciali* insuper tali *evacuatione* multum levatur, corrigitur & *minuitur*, ne augmento suo magnam ac facilem noxam ejusmodi

affli-

afflictis subjectis afferat: denique etiam noxa a tali fonticulorum consolidatione expectanda est in subjectis, quæ aut *pravis consuetudinibus* in *morum* & *vitæ* œconomia prædita sunt, aut in easdem *valde* inclinant, quæ proinde *talibus* afflictionibus *morbosis* obnoxia sunt, quales facile in *alias* morbosas *consequentias* & *metamorphoses* inclinant, quæ *multis* ac *diversis* consiliis & experimentis *medicis* utuntur: quippe quæ singulæ observationes selectæ & exquisitè practicæ in *fonticulorum* directone & dijudicatione judicioso & attento animo conciliandæ, annotandæ & applicandæ sunt.

§. V.

Proximum nunc est ut *noxios* tales *effectus* & consequentes *affectus* commemoremus, qui ab *inconsulta* Fonticulorum concretione provenire solent: *generale* quidem testimonium Practicum est, quod *Rhases Lib. de affect. partium tit. 16.* profert, *fonticulum concrescentem gravissima attrahere symptomata*, attamen *Fallopius in tr. de Cauteriis cap. 14.* & *Rodericus a Fonseca Consult. Medic. Tom. I. Consult. 49.* testantur, quod *fonticuli sine judicio sanati*, interdum *eosdem iterum convocent affectus*, ad quos prius ipsi adhibiti fuerant, & *Nicol. Piso de morb. cognosc. & curand. Lib. 1. c. 25.* ut & *Ballonius Consil. medic. Lib. 1. cons. 114.* non modo eandem observationem confirmant, sed proinde affirmant quod post inconsultam fonticulorum suppressionem *antiqui* morbi *vehementiori* & *acerbiori* gradu revertantur, imo communiter mortem causentur: testatur judicia talia in Casu Practico *Riedlinus Cur. medic. 167.* quo asserit & comprobat, quod *aphthalmia, quæ fonticulis alias curatur, fonticulo clauso,*

porro

porro *ſuccedat:* ſimilem caſum *D. D. Præſes* obſervavit in virgine, quæ ex *retardata Menſium* eruptione gravem *ophthalmiam* perpeſſa fuit, qualis fonticulo *fluente* eximie mitigata, *occluſo* vero & exſiccato, valde denuo *exacerbata* fuit: deinde accidit, ut occluſi fonticuli magna vitæ detrimenta & pericula inferant, quæ *nova* illorum apertione averti debent: talis caſus allegatur in *A. N. C. dec.1. an.2. obſ.257.* ubi *p.384.* hæc leguntur verba: *Cum tandem a Chirurgis conſolidaretur, anguſtiam pectoris, ſpirandique difficultatem patiebatur æger, adeo quidem ut denuo ulcus recludere opus fuerit:* quæ relatio, licet occaſione fonticuli *naturalis* allegata ſit, tamen ad *reliquos* commode applicari poteſt, hinc *Claudius Deodatus Panth. Hygiaſt. lib.3. c.27.* eloquitur, *fonticulorum præmature aut perverſe curatorum* pravi *ſucceſſus, illorum renovationem ſine mora urgent:* Aliquando evenit ut fonticuli, *incongrue* ſanati, *pectus* maxime offendant & illico *periculoſum aſthmaticum* ſtatum cauſentur: ita *Lælius a Fonte conſ. 8. p. n. 65. fonticulum ſanatum utpote aſthmatis cauſam* allegat, in quo caſu refertur, quod patiens ille etiam *mortuus* ſit; *Horſtius Lib.4. Part.2. obſ.15. p.354.* commemorat *difficultatem ſpirandi & anaſarcam ex fonticulo clauſo ortam;* quæ patiens de hinc etiam *mortua* eſt: non nunquam tales *infeliciter* occluſi fonticuli, non modo *priſtinos morbos*, ſed ſimul *alias ſuſpectas morboſas complicationes* accerſunt: aliquando *loco* priſtinorum, *novi* quidam alii, ſed valde *intricati, refractarii*, periculoſi & quandoque extreme *corrupti* conſequuntur morbi: non raro evenit, ut tales *conſequentes* morbi aut *incurrabiles* evadant, aut intra *brevem* temporis terminum *funeſtum* exitum cauſentur

ſentur

ſentur: tales *ſiniſtræ* & ſuſpectæ conſecutiones, quandoque pro ratione *individuorum* & in illis *ſingularium* circumſtantiarum obviarum, *cito* ſuperveniunt, ac interdum *plenariam* fonticulorum concretionem nedum quidem expectant: *omnes* præterea affectus, qui fonticulorum concretionem excipiunt, ſunt qualitate ſua, etiamſi *lenes* ac *leves* videantur, *ſuſpecti*, dum facile *periculoſos* progreſſus faciunt: neque illa in ipſo *conſilio* admittendæ conſolidationis fonticuli omnimode *incurioſa ſecuritas* ingenua eſt, ſed potius *peritus* medicus ad *ſiniſtros* ſucceſſus *paratus* eſſe debet: quando *poſt* talium fonticulorum conſolidationem aliæ *ſalutares ordinariæ* excretiones turbantur, *malum* indicium eſt: ſi valde *anomali* motus, *virium* proſtrationes, *ſomni* turbæ, *appetitus* vitia, *animi* languor, *corporis* extenuatio conſequuntur, ſuſpectum crinomenon eſt: *ſudorem* fœtidum & *urinam* turbidam fonticulorum repreſſionem ſequi, *non abſolute* malum eſt, nec etiam *moderata* diarrhœa conſequens *pravum* ſignum exhibet: *ſemper* vero *malum* omen eſt, ſi poſt talem concretionem *cito* & *valde* tota œconomia vitalis *turbatur*: omnes *repentini* motuum *exceſſus* & *defectus*, hanc concretionem excipientes, *peſſimi* præſagii ſunt: affectus fonticulorum concretionem conſequentes, *caput* invadentes, *nervoſum* genus affligentes, *pectus* inſultantes, *reſpirationem* obruentes, *ſemper ſuſpecti* & periculoſi ſunt: Et haſce obſervationes in ſuccincta, ex parte etiam *prognoſtica*, præſentis tractationis deductione commendare placuit.

§. VI.

Nunc *ſeorſim* de Fonticulorum concretione notandum,

dum, quod capiti aliquando afferant & concilient *cephalæam*, ominoſas *vertiginoſas* perturbationes, ſinuum *infarctus* contumaces *catarrhales*, eximiam *debilitatem*, ſenſuum *internorum* languorem, communem *torporem*, affectus *ſoporoſos*, *oculorum* obſcurationes, defluxiones *humoroſas* intra *oculos* & ad *aures*, *cataractam*, *amauroſin*, *tumores* ſuſpectos in partibus *glanduloſis*, præcipue *parotidibus*, affectus *paralyticos*, tremores, *catarrhos* aut *fixos*, aut *immodice* & ultra modum fluentes, dolores alios *obtuſos* & ſuſpectos, quin plane *apoplecticas* conſecutiones, pro diverſitate *ſubjectorum* & affectuum *præcedentium*; aliquando defluxiones ad *dentes* & *gingivas* tendunt & in iisdem magnos *cruciatus* & ſuſpectos *tumores*, quin aliquando ominoſa *ulcera* cauſantur; tales affectus capitis non modo a fonticulis, *antea* in *capite* geſtatis, nunc vero occluſis, ſed etiam ab *aliis*, ortum ducere ſolent; deinde invadunt interdum *noxii* affectus, fonticulorum concretionem excipientes, *pectus* & in illo cauſantur contumaces, intricatos & arduos *aſthmaticos* morbos, *corruptos catarrhales*, *ſuffocativos*, magnam *anguſtiam* inferentes, *palpitationes cordis*, in junioribus & plethoricis *conatus*, imo *actuales* ſucceſſus *hæmoptyicos*, *perverſa* pathemata *inflammatoria*, inflammatorio-ſuffocativa, *aſthmatica convulſiva*, rhevmatico-ſtrangulatoria, rhevmatico-pleuritico-peripnevmoniaca, dyſpnœam, *phthiſin*, *oppletiones* humoroſas cum difficili reſpiratione & *ſuffocationis* metu conjunctas, *ſpaſmos diaphragmatis* cum *ſuffocationis* comminatione conjunctos, inſolitam ſalivationem cum magna *humoroſa* pulmonum oppletione ſtipatam, *polypoſa* cordis concrementa, periculoſas *congeſtiones* pulmones affligentes & mi-

ram

tam *anguſtiam* ac oppreſſionem reſpirationis inferentes; aliosque *corruptos*, anomalos & valde intricatos affectus: interdum *occluſi* fonticuli in *abdominis* cavitate tragœdiam *conſequentium* morborum aperiunt & agunt, inque illa *diverſa* & *perverſa* affectuum ſchemata generant, velut enormes *vomitus*, *colica* tormina, diarrhœas *prodigas*, aliquando plane acres, mordaces, *bilioſas* morbos, varios *meſenterii*, *ſtagnationes* humorum, pathemata *hypochondriaca*, *Lienteriam*, ſuſpectas & valde angentes *flatulentias*, præludia *tympanitica*, *iliaca* ſchemata, *Hepatis* infarctum, *tuſſim* ſtomachalem & hypochondriacam valde ſuſpectam, dolores *lancinatorios inteſtinum* & *meſenterium* vexantes, *cachexiam*, *hydropem*, *hecticam*, *icterum* nigrum, *melancholiam* hypochondriacam, malum *ſpleneticum*, *abſceſſus* meſenterii, aliarumque partium, indurationes *glandularum*, morbos *pancreatis*, præc. abſceſſum hujus, *hydatides*, valde dolorificos & intricatos affectus *nephriticos*, ſuppreſſiones Urinæ, indeque provenientem *Iſchuriam*, aliquando *dyſuriam*, *ſpasmos* & *ulcera* veſicæ urinariæ, *dolores abſconditos* cum *convulſivis* commotionibus conjunctos in abdomine ſævientes, turbas & *anomalias* valde *ſuſpectas menſium* & *hæmorrhoidum*, in quibus perſonis hæ *poſteriores* præſentes fuerant: ominoſi *teneſmi*, ulcera & fiſtulæ *ani*, procidentia ejus, præcocem *taben*, maraſmum, *inſenſibilitatem* in viſceribus & officiis in abdomine occurrentibus, *tumores* in abdomine, *hydropen uteri* & *ovariorum* aliaque valde perplexa & *abſcondita* morborum ſchemata: Nec tantum in *interna* corporis regione talia *intricata* morboſa ſpecimina fonticulorum *incongruam* concretionem ſequuntur, ſed etiam nonnun-

quam

quam *externa* corporis regio variis talibus afflictionibus ab *eadem* causa obnoxia redditur; inde quandoque oriuntur *rheumatismi* pertinaces valdeque dolorifici, *tumores*, *œdemata*, *fungi* in juncturis sive articulationibus membrorum, *spasmi*; quemadmodum *Mercurialis Tom. 4. p. 175.* *Podagram* plane, a tali causa ortam, commemorat; hisce affectibus annumeramus *Erysipelas album*, *Phlegmonem*, *Cancrum mammarum*, (*vid. Scultetus armam. Chirurg. Part. 2. obs. 46.*) *scabiem* fœdam & acrem, *malum* mortuum, *ulcera* alibi erumpentia, *defluxiones* acres in articulationes cum magno *dolore* conjunctas, *cariem* ossium, *spinam ventosam*, *contracturam*, *ariduram*, *tabem*, *paralysin*, *herpetem*, *serpigines*, *efflorescentias* aliarum pustularum valde prurientium; ardentium & facile ulcerascentium &c. quibus annotationibus adhuc annectimus, quod *fonticuli* utplurimum in hominibus brevi *morientibus* singularem mutationem subeant, ut vel *colorem* ominosum præsentent, vel humorem *cadaverosum* fundant, vel *exsiccentur*, vel nimium *relaxentur*, vel *concrescant*. vid. *Ægineta Lib. 6. Mich. Gavassetius tr. de recta cauterii applicatione*, *Gordonius de Cauteriis*: quare *Roder. a Castro in Syntagm. prædict. Part. 1. c. 6. part. 4.* ait: *Clauditur fonticulus, quia homo est morti proximus: conf. Lancisius de mortibus subitaneis: Lib. 1. c. 19. §. 19. p. 65.*

§. VII.

Quod vero tam *perniciosi* effectus Fonticulorum *inconsultam* consolidationem sequantur, brevi *causali* explicatione indicare lubet: nominamus itaque sensu *vulgari* hæc consectaria, *nociva*, quamvis in *variis* talibus supervenientibus affectibus *salutaris* etiam quidam respectus occur-

currat; aſt quia hæc annotatio non *proprie* ad præſentis noſtri propoſiti rationem ſpectat, ita in ſubſidium commendamus *diſp. D. D. Præſidis de Morborum ſalubritate*, quæ eandem annotationem fuſius illuſtrat & confirmat: hoc vero loco ſignificamus, quod tales affectus conſequantur, aut quod *fonticulorum concretio* ea propter *aliquando noxia* fiat, quia *ſalutaris* hæc evacuatio, qua multa copia impurarum & *inimicarum* materiarum removetur & corpus cum inſigni *emolumento* ab eadem *liberatur*, eo ipſo *cobibetur* & ſupprimitur; hinc *ſalutiferi* hi fonticuli, quos *Rhaſes* propterea *Fontes* nominavit, in *lib. de cauteriis*, *conf. Severinus Pyrotechniæ chirurg. Lib. II. Part. 1. cap. 9. p. 234.* obſtrunntur, materia *excrementitia retinetur*, coacervatur & *novos* pernicioſos effectus in corpus *individui* exequitur; unde *humores* magis depravantur & *inquinantur*, *ſenſibiles* viciſſim ſolidæ textæ & ſtructæ partes *infenſiſſima* qualitate *offenduntur*, ſtimulantur & ad proximam *corruptionem* diſponuntur; quid quod *laudabilium*, videlicet *gelatinoſorum*, humorum *temperies* & conſiſtentia læditur, indeque valde *morboſa* impuritas, *acrimonia* & *condenſatio* generatur, ut huc illuc in corpore *ſtaſes*, *infarctus* & *ulceraſcentes* corruptiones oriantur, cum quibus, ſub *certis* circumſtantiis, nunc *dolores*, nunc ad *avertenda* hæc prava conſectaria, *ſpaſmi* & *convulſiones*, nunc ob *graviſſimam* offenſionem corporis motuum *ordinariorum deſertio* & omiſſio, velut paralyſis, &c. cum connexis pathematibus ſuperveniant; interdum ob eximiam & *vix corrigibilem* læſionem talem, corpori inductam, *motus* iidem ſucceſſive *intercipiuntur*, ut partes exareſcant & *contractura*, *atrophia* ac *tabe* correptæ, quaſi emo-

riantur: tanto magis in hoc casu, ubi fonticulus *inconvenienter* occlusus fuit, habenda est ratio *consuetudinis*, imprimis in subjectis *sensibilibus*, ob quam *majori applicatione* motuum ac *intensiori* æstimatione hæc *excretio* per fonticulum pro *distincte* salutari ac *necessaria* servata & tractata fuit; inde non raro accidit, ut *peregrinæ* & insolitæ *impuræ* & *noxiæ* substantiæ, ad *singulares* morbos excitandos idoneæ, *ex fonticulis* ejiciantur: sub quo statu *natura tali* consolidatione fonticuli valde *offensa*, ad *alias* commotiones, hanc eximie *præjudiciosam* suppressionem, *compensantes*, invitatur, ut *aliorsum* non modo *illa* materia, quæ *hactenus* e *fonticulo* eliminata fuit, sed & *alia*, quæ in certis individuis *connexam* offensam affert, velut *sanguis*, *bilis* &c. *impetuoso* motu transferatur, atque ex *aliis*, aliquando plane *incongruis*, aut suspectis, aut valde *nobilibus*, *sensibilibus* & teneris partibus, *periculosa* excretio urgeatur, cum quo *vehementi* ausu, varii effectus, actu & *vere noxii* cohærent, videlicet subitaneæ humorum *stagnationes* & *stases*, partium tenerarum *distensiones*, *opplentiones* & relaxationes, nec non tenerrimorum *canalium disruptiones*, humorum *extravasationes* & præcipites *mortiferæ* corruptiones; quando præterea quædam subjecta ob peculiarem *vigorem* & *temperamenti* sui alacritatem in *strenuas* evacuationum & *moliminum* excretoriorum prosecutiones *perquam* inclinant, tunc in iisdem *incongrua* Fonticulorum concretio ad *vehementes vicariarum* evacuationum subordinationes & promotiones *aptissimam* subministrat occasionem; in quo processu facile sontici & *periculosi* committuntur *excessus*: quodsi etiam ejusmodi *supernumerariæ* & extraordinariæ evacuationi, citra *singula-*

rem

rem opem, ob *certas* alias rationes *adſueta* fuerit natura, tunc illius *ſuppreſſio* variis præjudiciis conſequentibus anſam præbet, ut aliis motibus *translatoriis* & *eluctatoriis defectus* ille urgeatur: hinc pro ſubjectorum *differenti* qualitate ratione *morborum* perpeſſorum, *morum* conſuetorum, conſtitutionis *corporis*, *diætæ*, *regiminis* & tractationis *medicæ*, *ſuſpectam* talem Fonticulorum ſuppreſſionem nunc *exceſſivi* quidam motus, nunc in *defectus* proclivia morborum ſchemata excipiunt, unde varia *alia damna* irruunt: quam ob cauſam *toti* œconomiæ *vitali* gravis infertur turba, cujus conſectaria tanto *efficacius noxium* totius tragœdiæ exitum *accelerant*: proinde non modo *copia* coacervata *pravæ* cujusdam materiæ *perniciem* minatur, ſed & perturbationes *motuum* & functionum *Se-* & *Excretoriarum* reliquam corporis officinam corrumpunt, invertunt, deſtruunt: imo *ſupervenientes* motus *congeſtorii*, alias *partes* inſultantes, in hiſce nunc repentinam humorum *ſtagnationem* & *ſtaſin* cauſantur, alibi easdem valde *enervant*, ut ſuis *ordinariis ſalutaribus* officiis porro fungi ægerrime queant; hinc in *ejusmodi* partibus pernicioſi *abſceſſus*, cum connexa tabe & *hectica* oriuntur; ut propterea in tali caſu valeat, quod *nulla calamitas ſola* exiſtat & quod *Seneca in Conſolat. ad Marciam c. 10.* eloquitur: *tota vita flebilis eſt: urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus ſatisfeceris:* neque mirum eſſe debet, cur ſub *ejusmodi* facie rerum utplurimum *intricati* & *corrupti* conſequantur effectus: quid quod, ſi alias *vires* naturales *languent*, quæ hactenus hoc fonticuli *purgatorio ſublevatæ* fuerant, tunc poſt illius *obſtructionem* celerior *funeſtus* eventus metuendus eſt: quæ ſuccincta,

fundamentalis tamen diſquiſitio *Pathologica* noſtro inſtituto proinde etiam *nervo* præſentis thematis ſatisfacere poteſt.

§. VIII.

Ne vero Fonticulorum conſolidatio *noxam* afferat, placet adhuc *conſilia* & *auxilia* ſalutaria annectere, quibus *prava* conſectaria tempeſtive & legitime *averti* queant: interim dantur etiam fonticuli, qui in certis *ſubjectis* & ſub peculiaribus *circumſtantiis*, ſemel provocati & *aliquandiu* geſtati, nunquam conſolidari debent, quoniam in illis caſibus nulla *certa* dantur adminicula, quibus morboſæ conſecutiones intercipi poſſunt; unde potius ſub concurſu & conciliatione *therapevticorum* conſiliorum *ſalutaris* illorum *apertorum* & fluentium fonticulorum præſentia *medicamentis* congruis adjuvari debet: Quando vero viciſſim quidam medici periti, in *certis* caſibus conſultum eſſe judicant, ut poſt congruum temporis decurſum fonticulum conſolidare queant, tunc antea corpus ad talem concretionem *præparari*, deinde ipſa concretio juſte *dirigi* & *poſt* conſolidationem *reliquus* ſtatus œconomiæ vitalis ordinari & adjuvari debet, ne *pernicioſi* effectus ſuperveniant: *Primam* occupationem quod concernit, tunc antea collectæ in primis regionibus impuritates cum *congruis* laxantibus, *varianti* conſtitutioni corporis quadrantibus, educendæ ſunt; huc ſpectant remedia *rhabarbarina*, *mannata*, *tamarindinata*, *paſſulata*, *prunata*, ut & in corporibus humidis & pituitoſis, remedia ex G. ammoniaco, agarico, reſina ſalapp. præpar. & mercurio dulc. conficienda; hiſce pro ratione qualitatum diverſarum conjungenda ſunt *reſolventia*, & balſamica, velut herbæ amaræ

c. b.

c. b. cochlear. absinth. cent. min. scord. fumar. beccabung. trifol. fibr. nasturt. radices angelic. helen. imperat. aristol. rot. cyp. rot. carlin. caryophyllat. vincetox. pimp. alb. galang. gentian. rubr. Zedoar. similiaque: hæc auxilia sicut *corrigente*, aut præparante & *evacuante* virtute prædita sunt, ita in hoc casu in *variis* formulis offerri possunt, ex quibus etiam in *aptis* subjectis *vina* medicamentosa conferunt: deinde ordinanda veniunt interna *temperantia* & *perversas* commotiones anticipantia, ut sunt *absorbentia* teneriora, aut horum magisteria, Lap. 69. citr. conchæ tartarisatæ, Magist. C. C. corall. rubr. ppt. corall. alb. ppt. aut utrorumque Magisterium, C. C. sine igne, Mat. perl. remiscenda cum nitro depur. arcan. duplic. aut crystall. tart. antimon. diaphor. & cinnabar. hæc mutanda sunt cum aliis temperantibus, velut spiritu nitri dulc. cum tinct. antimon. tartaris. & ess. succin. juncto, quo nomine convenit potio ex Aqv. destill. Scorzon. scabios. galeg. meliss. citr. fl. sambuc. millefol. chærefol. c. b. miscenda cum Gelatin. C. C. liquid. Spirit. nitr. dulc. tinctur. corall. & Specif. cephal. Michael. proinde conducunt auxilia excretionem *diaphoreticam* & *diureticam* paululum promoventia, quo pertinent Essentiæ ari, helenii, vincet. juniper. angelic. pimp. alb. succin. cum spirit. nitr. dulci sociandæ; aut Spirit. tartar. Spir. nitr. dulc. ess. absinth. compos. & succin. invicem mixta, interponantur mitiora & selectiora *carminativa* & *confortantia*, tam *diætetica*, quam *pharmaceutica*: roborante scopo inserviunt *Succinata* & *Sassafrata*, temperata tamen remedia: evitetur omnis *impetuosa* humorum commotio & excretio: *transpiratio* paululum auctior indies conservetur, quo inter

reliqua adminicula Decocta mitius calida ſpectant, velut herbæ Thée, aut ex Scorzoneræ radice & C. C. raſpato parata; quibus cum non modo *temperies* humorum promovenda, ſed & excretio urinæ & ſucceſſus *placidi* ſudoris, adjuvanda: in aliquibus ſubjectis, ubi præc. ſanguinis *copia* urget & variæ ominoſæ illius *commotiones* occurrunt, aut ex *utrisque* ſontici affectus *morboſi* prægreſſi ortum traxerunt, quibus derivandis, *revellendis* & minuendis fonticuli adhibiti fuerant, præſtat ſub hac præparatione opportunam & *modicam V.Snem*, aut in *carnoſis* perſonis *ſcarificationem* adminiſtrare, de reliquo etiam per *intervalla Pediluvia* in uſum vocare & ſubinde in *Regimine* ac *Diæta* juſtum moderamen obſervare; denique fonticuli conſolidationem ſuſcipere integrum eſt.

§. IX.

Ipſa vero Fonticulorum conſolidatio ita dirigenda eſt, ne illa *ſubito* ſuccedat, neve per *adſtringentia*, *exſiccantia* & *repellentia* urgeatur aut præcipitetur; hinc *plurimi* medici ordinant, ut, ſi antea fonticulus in *capite* geſtatus fuit, in vices ejus, quando ille coaleſcit, alius in *brachio* & ſi hic concrevit, denique novus in *pede* inſtituatur, ac ita ſucceſſive non modo caput a periculoſis inſultibus præmuniatur, ſed & quilibet fonticulus *ſecurius* occludatur: eapropter concretio hæc *ſucceſſive* contingat, ut indies illius manatio *quadantenus* minuatur; interea peritus medicus judicioſe & attente *præcaveat*, ne ſponte ſubito exſiccetur, retrocedat & coaleſcat; hoc ſi contigerit, remedia adhibeantur, quæ *leniter* fonticulum ad *manationem* ſtimulant; ſub reliquo directorio in *ambitu* illius adhibeantur emplaſtra remiſſius *diſcutientia*, *roborantia* &

ſic

ſic dicta defenſiva, ut ulterior largior *affluxus* avertatur: ad fonticulum vero in perſonis *ſucculentioribus*, ſi neceſſitas requirit, *eſſentia balſamica Stahliana*, parcius cum eſſentia hyperici mixta adhibeatur, aut unguentum digeſtivum cum oleo ovorum, oleo hyperic. ſuccino pulveriſ. maſtich. & liquamine myrrhæ combinatum; ſervata illa cautela, ne *promiſcue*, ne *ſæpe*, neve *prodige* talia admittantur: interea *interne* uſurpentur prælaudata *laxantia*, placida *diaphoretica* & temperata *diuretica*, quibus cum *decubitus* humorum ab *aliis* locis avocetur, avertatur & ſi quid interea *impuritatis* regeneretur, illud per hæc excretoria ſpecimina & loca tempeſtive ejiciatur, ne ſua *præſentia futuris pravis* conſectariis anſam præbeat: præcipue vero conferunt in quibusdam ſubjectis decocta ex rad. Scorzoner. Liquir. Sarſapar. Vincetox. gramin. herb. c. flor. arnic. & millefol. teucr. ſcabioſ. centaur. min. Lign. Saſſafr. Santal. citr. bacc. junip. ſem. fœnic. paſſul. utrisque & crem. tart. eo etiam pertinent Eſſentiæ ſupra laudatæ; ſervato eodem *regimine* ac *diætæ* modo & ordine: interponantur remedia *temperantia* & *antiſpasmodica*, cum ſelectis *ſedativis* & *diaphoreticis* ſociata; quibus ultimis ſpecif. cephal. Michael. & Pulver. Marchionis annumeramus: ſub eodem proceſſu conſultum eſt, ut non modo alvus *conſtanti* gaudeat ſucceſſu, ſed & ut aliquando *admoneatur* & *lubrica* conſervetur; id quod ſub *diæta* per paſſulata, prunata, oleoſa eſculenta, olivarum comeſtionem, & liquida gelatinoſa obtineri poteſt: de reliquo in & externum *frigus* arceatur & ſub bona corporis obtectione tranſpiratio inſenſibilis in congruo & ſufficienti ſucceſſu teneatur: Quando denique hæc concretio peracta fuit, tunc

con-

continuentur *lenes laxationes*, quæ pro diverſitate *ſubjectorum*, *cauſarum* & *temporum* aliquando cum formula infuſorum *vinoſorum* perfici debent, ſub quibus remedia *reſolventia*, *roborantia* & *diuretica* commode propinari poſſunt: evitentur tamen potentes, ſimultaneæ & impetuoſæ purgationes, quæ nimia ſua commotione & irritatione alia *periculoſa* conſectaria convocant: ſubordinentur *remedia* & *regimina æqualem* humorum *diſtributionem* & *neceſſarias* ſubinde evacuationes inferentia & promoventia: præcipue vero ordinentur auxilia *ſupervenientem* humorum *intemperiem* & acrimoniam *corrigentia*, ex quibus ordinamus teneriora *abſorbentia* & *diaphoretica fixa*, regulum antimonii medicinalem, bezoard. miner. antimon. diaph. ceruſſam antimonii, & in quibus *largior* confluxus humorum pituitoſorum præſto eſt, ibi parcus & moderatus uſus *Sulphuris* in floribus aut Tinctura internus, aut *antimonii* crudi proficit: eo porro referri merentur decocta C. C. aut Scorzoneræ paſſulata, aut *temperatiora* & dilutiora *Lignoſa*: hanc *mundificationem* & correctionem humorum adjuvant inſuper *pilulæ Stablianæ* aut correctæ Beccherianæ *iteratis* vicibus aſſumendæ, & interdum cum extr. panchymag. Croll. aut pil. de Succin. Craton. miſcendæ: præterea conducunt remedia *reſolventia* & remiſſius *diaphoreſin* ac *diureſin* promoventia; quo pertinent prædictæ Eſſentiæ & in nonnullis ſubjectis Eſſ. ſcordii, fumariæ, valerian. myrrh. L. Saſſafr. Lignorum, & quidem in illis, quæ *temperatioris* ac humidioris ſunt conſtitutionis: diuretico fine conveniunt Tinct. antim. tartariſ. Tinct. & Spirit. tartar. ſpir. ſal. ammoniac. aniſat. ſuccinat. therebinthinatus, ſpirit. nitr. dulc.

eſſ.

eff. Succin. vincetox. &c. & quemadmodum ſub uſu talium remediorum prædictæ excretiones leni modo ſuccedere & continuare debent, ita per intervalla *diaphoreſis* moderata cum *regimine* admittenda & ſuſcipienda eſt; præter hæc adhibeantur interdum auxilia *concoctionem* ſublevantia, aut ſic dicta *ſtomachica* vel diætetica, vel pharmacevtica: loco potus cereviſiarii decoctum dilutius ad *ſanguinis depurationem* & *excretionum* promotionem ordinetur, ſive *avenaceum*, ſive ex C. C. paratum: cavendum tamen eſt, ne vel *multitudine*, vel nimia *frequentia* remediorum talia ſubjecta magis enerventur.

§. X.

Quam ob cauſam denique eximie proficit, *Diæta* convenienti ipſis ſuccurrere, in qua *temperata* gelatinoſa præcipue conferunt, excluſis pinguedine & carne *ſuilla* & *vervecina*, carnibus adultis craſſis, viſcidis, ſalitis, fumo imprægnatis, ut & aliis eſculentis, *cruditates* generantibus, *operoſam* concoctionem poſtulantibus, flatus producentibus, *primas regiones inquinantibus* & *onerantibus*, aliasque *turbas* inferentibus, aut *impurum* chylum præbentibus: fugienda ſunt *acida* & quæ alias humores *incraſſare* ſolent, ut & *evacuationes* ſalutares & neceſſarias turbantia & ſufflaminantia, ſanguinem *nimium* augentia, & valde *commoventia*; quare cum aromaticorum uſu moderamen ſervandum eſt: Lac *parcius* uſurpandum: vinum neque *frequenter*, neque vile, ſed generoſum eligatur & præferatur: *calor* moderatus quoad in & externum uſum obſervetur; frigus vero arceatur: aër *temperatus* & excretiones *moderatas* allevans uſitatius adhibeatur: *motus corporis* exerceatur modice & conſtanter:

nimia *desidia nocet*: *animus moderamini* studeat & ab affectibus ominosis abstineat. Acidulæ & thermæ parum in hoc casu prosunt; ad minimum non tantum proficiunt, ac hactenus commendata consilia & auxilia: quare præstantiora, nunc commemorata, illis præferimus. Si vero in hac tractatione fonticulorum concretiones non acquiescunt, sed vel *spontaneam* vicariam eruptionem & apertionem ulcerosam urgent, vel *motibus aliis pristinam* apertionem requirunt, tunc denuo fonticuli recludi debent. Denique in hoc posteriori membro, quod modo prosecuti sumus, sanguinis *artificiales imminutiones* in talibus subjectis, uti antea descripsimus, negligi non debent; *spontaneæ* etiam & adsuetæ leniter *promovendæ* & in successu congruo conservandæ sunt: quo loco adhuc reminiscimur illius effati ac judicii, quod profert *Riedlinus Lin. Med. An. 5. Mens. Febr. obs. 8. p. 135.* quod aliquando, sed non semper applicari potest: *Sicut huic matronæ* (judicat videlicet author, quod interdum sine noxa fonticulus occludi possit) *in senectute jam constitutæ non obfuit sanatus fonticulus, cum tamen hanc ætatem quædam plerumque comitentur mala, quæ fonticulos summe requirere videntur, ita minus obesse poterit iis, quibus adhuc pueris talia ulcuscula inusta fuerunt; cum crescentibus annis, mala illa, quæ hoc remedii genus indicarunt, plerumque decrescere soleant:* porro idem author *Cur. med. 982.* indicat & judicat: *omnino enim fonticuli ubi plus molestiæ inferunt, si præcipue parum materiæ fundant, sic sat tuto occludi possunt:* nos vero etiam in hoc casu circumspectionem & directionem medicam commendamus: addimus judicium *Waldschmidii in monitis medicis de Catarrho suf-*

foca-

focativo, ubi ait: *Fonticuli ſe commendant præſervana. Quær. an iterum occludi posſint: Reſp. eadem manente ſanguinis & humorum circulantium diſpoſitione* (obliviſcitur hic author œconomiæ motuum, cujus ſupra mentionem fecimus & quæ juxta varios reſpectus magni momenti eſt) *vix tuto poſſe ſanari: aſt ubi temperamenti ſit mutatio & æger ex termino ætatis tranſit ad alium, v. g. ex infantia in pueritiam &c. quid ni poterunt citra periculum occludi hæc ulcera:* annectimus pro colophone aliud ejusdem authoris judicium de *fonticulis*, in *diſput.* cui tit. *aſtrologus medicus* §. 20. *in illis qui lautius & largius cœnant, aliquem præſtare poſſunt effectum, forte non contemnendum: dandum tamen aliquid conſuetudini & credulitati: ut enim nulla datur fere religio, quæ non ſuas habet (ſano tamen ſenſu) ſuperſtitiones, ita in ipſa medicina, plura ejusmodi IDOLA reperiuntur, quæ magnam ſibi pariunt inter homines confidentiam, ut in ludicris his remediis ægros habeamus valde morigeros, in ſeriis vero & quæ in cura omne ferunt punctum ſemper contrarios: nolo tamen author eſſe, ut quis hiſce motus, ulcuſcula illa ſtatim occludere velit, id quod citra incommodum vel etiam periculum fieri nequit: conſueta enim, & ſi deteriora, inſuetis minus nocere ſolent.* Sed abrumpimus nunc præſentis tractationis filum & DEO T. O. M. pro præſtito ſuo auxilio in expediendo hoc labore, humillimas perſolvimus gratias, nosque ac noſtra reliqua conamina almæ & cœleſti ejus directioni & benedictioni conſecrantes & commendantes, quo ex optatum & proſperum ſemper ſortiantur

FINEM.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

QUod *Galenus in method. med. Lib. 10. c. 10.* elocutus est, *quando satius est*, sunt ejus verba, *aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire: tanto profecto satius est, potentibus præsidiis pugnare, quam nihil agere*, idem sane valet de illo Fonticulorum usu in Medicina, quocum non raro cæcum experimentum instituitur; quam sæpe vicissim sua fiducia fallantur & decipiantur, qui ab eodem usu infallibilem utilitatem expectaverant, quotidiana docet experientia: quare juxta *Bartholinum Cent. 2. Epist. 42. nolo aliorum infortunio discere*, i.e. *pericula per mortes facere*, ut *Plinius* ait, attamen ex minus prosperis successibus infeliciter institutorum experimentorum aliquando sapientiam & prudentiam discere licet: Si conciliamus & colligimus elogia, quæ de Fonticulorum usu proferuntur, sane pauci erunt morbi, in quibus iidem opem aliquam non obtulisse deprehenduntur:

ast

ast juxta *Nazianzenum orat. XX. p. 122. nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res ulla alia suapte natura vel maxime utilis est, vel maxime noxia, verum, ut iis, qui utuntur, placet:* quare *usus illorum non semper tutus* est *vid. A. N. C. Dec. 3. an. 1. obs. 100. & Cent. 1. p. 313.* ut non paucos pœniteat hos aperuisse & delibasse fontes. Ast si in quibusdam individuis hi Fonticuli ad diversos capitis, pectoris & abdominis morbos, salubres deprehensi fuere, quid ni sub nexu illarum circumstantiarum iidem, quando inconvenienter obstipati fuere, eosdem affectus causari poterunt? ut propterea scrutinium rationis & indagatio causæ in salutari tali effectu difficilis, aut absondita haud sit: imo miramur interdum quod talia ulcera artificialia, alio morbosa, ulcera curare soleant, juxta *A.N.C. Dec. 1. an. 3. p. 369. de fonticulis in ulcere ani, Sculterum in armam. chirurg. tab. 43. de fontic. in tibiarum ulceribus:* aut quod fonticuli in aliis exterioribus afflictionibus utilitatem conciliaverint, *vid. A. N. C. Dec. 1. an. 9. p. 28. de font. in polypo narium; in tuberculo nasi Sylvaticus Cent. 1. cons. 25. in herpete cons. 83. in ozæna & ulcere genæ. Wepfer obs. p. 929. 935.* Haud tamen ea propter hanc remedii speciem pro universali, ne quidem pro proprio & sic dicto specifico auxilio in singulis talibus affectibus declarare licet: Pessimus sane hodienum obtinuit ille mos, ut in morbis intricatis aut desperatis ægri aut ad Fontes aut Fonticulos ablegentur, quasi hæc fida illa sint asyla, quæ miseros contra mortis judicium ac tela tueri & protegere queant: De *Jacobo Sylvio* refertur historia, quod *Buchananus* ejus tumulo hosce inscripserit versiculos: *Sylvius hic situs est, gratis qui nihil*

 fecit

fecit unquam; mortuus, & gratis quod legis ista, dolet. Sane non pauci a Medicis non gratis, sed pro splendido sostro & cum multis doloribus mortem aut eximiam naturalium suarum virium enervationem, cum fontibus & fonticulis oblatam & provocatam, emunt; de quibus illud valet, quod *Livius* de *Pyrrhi* archiatro refert, qui dum Fabricio pollicitus est, quod Regem pharmaco quodam e medio tollere vellet, hic conamen tale aversatus fuerit, & inimicum per Epistolam monuerit, *ut a Medico sibi caveat:* æquali prudentia a Medicis cavendum est, qui vel prompte, liberaliter & frequenter, aut temere & imprudenter Fonticulis utuntur: non levis conatus est illos ordinare, nec leve negotium est mala illorum consectaria tollere: de *Socrate Seneca Ep.13.* dicit, quod ipsum *Cicuta magnum* fecerit: ast de fonticulis sæpe asserere possumus, quod neque Medicum magnum, nec ægrum sanum fecerint: non pauci inter spem ac metum, anxii tamen ad hanc confugiunt anchoram: quare multis in aurem dicendum est *Hippocratis* effatum: *si non prosis, saltem ne noceas.* Bene itaque illi agunt, qui in Medico foro peccata commissionis & omissionis redarguunt; id quod etiam de Fonticulorum commendatione valet, qui vel ordinati aliquando nec prosunt, ast nocent, vel omissi aut nocent, vel instituti iterumque occlusi damna inferunt: Hujus laudabilis conatus Tu memor es *NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE*, qui præsenti Inaugurali specimine *Fonticulos concretione sua noxios* perhibes, hancque observationem in historica relatione, causali explicatione,

ne, & fido Doctorum testimonio confirmasti: Approbo utiles hosce conatus, insuperque de honesto ac fausto Academicorum Tuorum laborum exitu Tibi gratulor: Divina enim clementia studia Tua, quæ hactenus haud vana ac levi assiduitate inter nos prosecutus es, non modo prospero successu, sed & egregio beavit accremento, ut nunc saluberrimis dogmatibus abunde instructus, opus ipsum Medicum aggredi atque in hoc Foro DEO proximoque laudabili & ingenuo ardore, cum profectuum doctissimorum ornamento inservire poteris: Animi vigor ac præstantia, quo Te cœlestis Bonitas beavit ac instruxit, effecit, ut in brevi tempore, multa utilia & salutaria in elegantium Studiorum Tuorum accrementum redigere ac conferre valueris: nec fefellit Te spes, sed nunc frugem illam in negotio Medico ferre allaborabis, ut DEO proximoque acceptus esse queas. Licentiam nunc acquiris, ut egregia illa studia, quæ comparasti ad usum dirigere queas; Faxit DEUS feliciter! efficiatque ut omnia honesta Tua proposita ad vota succedant: Sis maneasque sub eadem divina Bonitate benedictum instrumentum, ut gloriam altissimi proximique salubritatem multis modis augere possis: & qui in proprio Tuo corpore, quid nocumenti Fonticuli occlusi afferant, expertus es, ita precor, ut talia & alia incommoda & vacillationes sanitatis, secundum divinam voluntatem, diutissime haud experiaris, sed ut sub desideratissima animi & corporis firmitate ac integritate de prosperrimis

cœpto-

cœptorum Tuorum ſucceſſibus ac eventibus gaudere queas: Age itaque ut imposterum divina benedictio uberrimis emolumentis Te proſequatur & comitetur: ſic habebo, quo mei in Te effuſi ingenui voti ſemper memor conſtanti Favore ac propenſo affectu Te imposterum etiam proſequi queam: Dab. e Muſeo Halæ Magdeb. XI. Kalend. Febr. A. O. R. cIↃIↃCCXXXI.

